

mulier! Mane illa perterrita ad templum nostrum accurrit, Patri uni e nostris rem totam exponit, qui jussæ animo forti esse, operam suam spondet, modo singulis se hebdomadis confessione expiet. At ecce nocte proxima rursus strepitu et tumultu excitato apparere monstrum, et quod prius mortem intra sex septimanas, uno jam die minus demeruisse, et pergere ita deinceps singulis noctibus. Quid agat, misera? ad Sacrum Sanguinem (qui Brugis religiose colitur) vota, suffragia, Missas, vovet. Verum frustra. Nam larva illa quot noctibus eadem hora, vicinis strepitum percipientibus, mortem eodem semper modo interminat, nisi quod numerum dierum diminuere, prout propior dies sexte hebdomadæ ultimus adveniebat. Summa jam nox decretoria aderat. Patri Societatis tum primum occurrit, misellam monere, ut studiosè recitaret Rosarium duodecim stellarum, seu duodecim *Ave Mariæ*, id scilicet genus pie in Virginem exercitationis esse institutum ad non celestiter moriendum. Addit præterea, ut si strepitum audire consuetum incipiat, B. Virginem voveat, se tota vita illud rosarium in dies singulos recitaturam. Igitur misera mulier fatalem expectat horam, exauditur strepitus, B. Virgo invocatur; votum eidem de recitando rosariolo nuncupatur. Atque hic steterunt omnia illa infernalis monstri terribilia; cum ante semper coram spectandum se offerret, nec quicquam deinceps mulieri extitit inde molestiæ. *Ex lit. priv. Ibidem.*

Juvenis quidam quotidie imaginem Deiparæ in conclavi affixam florido sermo coronare solitus, cum S. Francisci postea Ordinem ingressus, gravibus urgeretur stimulis, Ordinem deserendi, quod in eo occasione non haberet antiquam consuetudinem retinendi, a B. Virgine apparente meliorem et gratiorem coronam, scilicet sexaginta salutationibus et septenis orationibus Dominicis constantem offerre doctus est; id quod ille feliciter executus, alii vero post illum non minori suo solatio sunt imitati. *Parad. apert. stag. c. xi, ex. iii.*

B. Joanna Franciscæ docta est a Christo rosariolum gaudiorum, decem salutationibus et una oratione Dominica constans, recitare in honorem decem virtutum, quibus B. Virgo præcipue enituit, nempe puritatis, pietatis, prudentiæ, humilitatis, obedientiæ, sinceritatis, paupertatis, charitatis, confor-

mationis voluntatis suæ cum divini, et patientiæ, quibus in fine aliqui *Ave mariæ stella* subnectunt. *Ib. c. v, ex. vi.*

P. Carolus Spinola et Joannes Berchmannus B. Virgini quotidie offerebant rosarium novem salutationibus in honorem novem mensium, quibus Christus in utero latebat, recitatis constans, aut certe, ut Berchmannus faciebat, hoc versu: « Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, » novies dicto; aut, ut alius quidam Clericus malebat, his versibus: « Beatus venter Mariæ, qui portavit æterni Patris Filium, et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum; » quæ omnia rosariola pergrata fuisse B. Virgini, ex eo colligitur, quod P. Carolo laureolam martyrii, Berchmanno insignem sanctitatem impetravit, Clerico vero, dum in morbo linguam foedissime dentibus laceravit, aliquot lactis guttis de ubere suo affusus reparavit. C. TAUSC. in *Matre dolor.* l. III, pr. X, n. 3; et *Parad. apert. c. ii, exer. iii.*

Imagines B. V. colendo.

S. Franciscus de Paula semper imaginem B. Virginis in privato sacello habebat, unicuique in rebus quibuslibet asylum; qua de re doctus Ludovicus XI, Galliarum Rex, effigiem ejusmodi septemdecim millibus aureorum æstimatam ei donavit, quoniam tamen ille constanter respuit, dicens, pietatem non in auro aut argento sitam, sed in una cœli Regina fixam esse oportere. *Ibid. c. i, ex. iii.*

In monte Olivetano anachoreta quidam, cum gravissimis libidinis stimulis in ipsam usque senectutem vexatus, cum Dæmone expostularet, et, ut extremo saltem vite tempore quietum vivere sineret, peteret, promissis Dæmonem a tentatione se destitutum, si imaginem, quam in cellula sua locatam præcipuo cultu venerabatur, deponeret, quod tamen ille, re tota Abbati detecta, exequi est prohibitus. *Ibidem.*

Ludovicus XI semper in pileo B. Virginis iconem circumferebat, plurimæ eam faciens, quam omnes Regni adamantes et gemmas. Item Ludovicus pius Imperator et Rex Galliæ, fecit, iconem talem, seu solus, seu in venatione esset, pro sacello habens, flexibile coram ea genibus precari solitus. *Ibid. exercit. iv.*

Andronicus senior, qui penes se perpetuo

parvam ex auro Virginis statuam et collo pendulam portabat, cum moriturus sumere Eucharistiam non posset, sigillum illud ori admovit, ut ei pro viatico Mater esset, si Filio frui non posset. *Ibidem.*

S. Carolus Borromæus, præterquam quod serio imperasset, ut in ingressu cujusque templi parochiani prostaret Deiparæ imago, omnes insuper suæ ditionis inquilinos hortabatur, ne omitterent harum iconum aliquam secum circumferre, certi de vi, qua illæ adversus malas Dæmonis machinationes pollerent. *Ibidem.*

B. Margarita, Regis Hungariæ filia, sub S. Dominici disciplina sanctimonialis, Sanctissimam Dei Matrem in ejus imagine, ubicumque se illi quæpiam offerebat, Angelicæ salutatione de genibus solita fuit consalutata. Idem faciebat singulis eidem Beatiss. Virgini festis diebus, ac per totam octavam, quotidie milies prostrato semper humi corpore. Nec pridie istorum dierum, præter panis et aquæ paululum, obsonii quidquam admittebat. Quoties autem in loco Capituli, ut vocant, sequentis diei solemnitas promulgabatur, ipsa humi strata, profusis lacrymis Deo gratias referebat. *SURIUS, in Vita, 28 Febr.*

Erat et in hujusmodi Mariani cultus studiis singularis prorsus nostræ Societatis nobilis athleta, et fuso pro Christi fide in Monomotapa sanguine, insignis martyr P. Gonzales Sylveira, qui, ubicumque se Dei Matris effigies ultro citroque comitantis oculis offerebat, eam toto capite, oculis, ac, si sine arbitris esset, genuum ad terram usque inflexione, venerabatur. Nec minus faciebat, quoties precatorem divæ Virginis corollam decurrens Angelicam salutationem inchoabat. *GODIGNIUS, in Vita.*

S. Theresia, monasterii Incarnationis Avilæ creata Antistes, in ipso obeundi muneris ingressu nihil prius habuit, quam ut se et cenobium totum B. Virgini devoveret. In quem finem imaginem ejus in cathedra priorali collocavit, eique monasterii claves una cum regimine tamquam Superiori, cujus ipsa esset vicaria, obtulit. Quod sibi gratum fuisse Virgo ostendit, dum pridie S. Sebastiani visibili specie in locum imaginis suæ substituta, se domus illius gubernacula non illibenter suscipere demonstravit. O Patres matresque familias, quanto domus vestre bono sub talis Virginis Antistitis imperio regerentur! *RIBERA, l. III Vit. c. 1.*

S. Edmundus studia nunquam inchoa-

bat, nisi implorata prius ope Virginis, cujus imaginem semper coram habebat, et se ipsa sæpius revera presentem exhibebat. Semel, cum inter studendum foisset forte lucerna a glire extincta, Edmundus ad Matrem suam pro more suo confugiens, vidit Angelum ab illa missum, qui lumen restituit. *SURIUS, in Vita.*

Anno salutis 1631, non procul Divione, tres prædones in equitem, qui secum retro vehebat monialem et cenobio abductam, inciderunt, cumque armis hic se contra istos defendere pararet, ab uno illorum caput gladio ignita percussus, de equo cecidit exanimis, unaque decidit, sed illesæ, monialis, qua instituti cum equite itineris causam interrogata, ingenue, quod reseret, fassa, magno se dignam supplicio pronuntiavit. Habebat illa in sinu B. Virginis iconem, quam in istorum occursum in manus sumperat, ejusdem Virginis implorata ope, quam et impetravit; nam grassatorum domum revelata est, et monita, ut hinc sapere disceret. Sub hæc, monialis ut vectori suo aliquid, ob acceptum beneficium, grati animi pignus relinqueret, iconem eum, qua se servatam credebat, donavit. Nec fuit homini donum istud diu inutile; siquidem ad suos properanti exorta animo, ex prævæ vitæ recordatione, gravis inquietudo, et conscientie remorsus meliorem iniecit mentem, suasitque relictiis sociis vitam ad Christiani officii normam revocare. Nec mora; converso gradu ad Divæ Virginis sacellum quoddam, Divione duabus distans leucis, cujus effigiem monialis dederat, se recepit, Virginique Matri, quam mutata jam in melius vitæ prædicaabat antorem, gratias egit. *BARRY, in Paradiso, 23 Januar.*

Narrat Joannes Moschus, in suo *Prælo Spirituali*, de Joanne quodam viro sancto, qui peregre ad visitanda sacra loca profecturus, B. Virginis Mariæ imaginem, quam in specu sua secum habebat, lumen honoris causa accendere, et ipsam illi lucernam cellula commendare solitus, sæpe post aliquot septimanarum, imo mensium, peregrinationem ad speluncam suam reditum, lucernam semper accensam, nulla ejus facta immutatione inveniebat, certum grati magnæ

Matri impensi officii testimonium. *In Prato Spir.* c. CLXXX.

Nobilis quidam Lusitanus ex morbo decumbens pro suo in Deiparam Virginem pio affectu jusserat in cubiculo suo parari altarium, et in eo Divæ statuam collocari, et texta e floribus corolla coronari, ac circum flores spargi, usus in hanc rem opera mancipii Turcæ, qui sane non sequitur nec morose domini sui jussa implere conatus est. Cæterum herus pridem optaverat servum illum suum Christianis accenseri, et sepe hominem tum ratione, tum prece ac pretio ad id invitabat, sed semper frustra. Is ergo postridie ejus diei, quo in exornanda Dei Matris effigie tam cordatam, heri jussione, navaverat operam, ad heram accurrit, baptismum postulat, ita nimirum ut peteret, secundum noctem jussisse Virginem, cujus exornandæ imagini tam sedulo se impendisset. Hac tam inopinata et diu optata servi postulatione ita exultavit nobilis, ut medicina illi tunc quidem non fuerit opus alia ad morbum pellendum et curandum, ut famulus Christianis Sacris imbueretur. Qui factus Christianus vitam eo nomine dignam instituit, et in magnæ Virginis Matris obsequium toto pectore incubuit. *BARRY, in Parad.* 18 Aug.

Inter cultarum Deiparæ imaginum præclara documenta, quibus vera pietas astruitur, ab elegantiori profectum ingenio illud videri potest, quo ad posteros transmissio, Melchioris Hierbæ Ord. Min. nomen est nobilitatum. Nam quia vilium pictorum inscitia Divæ Virginis ora vultusque minus eleganter effictos videret (quod sæpius inter illa Mexicanæ Ruremundanus singulis Sabbatis ad Aquisgranensem Deiparam nudis pedibus peregrinari solebat; S. Servatii vero reliquias quotidie mane, molesto licet itinere visitare; unde factum, ut, cum in agone Sacerdotem non haberet, S. Servatius a Deipara missus ultimis præsidii et Sacramentis eum muniret. *JOAN. NADAST, in Anno Maria. Sabb.* 29.

Franciscus Toletus, Cardinalis, Romæ singulis Sabbatis e Vaticano, longo satis itinere: pedes, quæcumque anni tempestas foret, itare ad S. Mariam Majorom consecuit, et illic se Reginæ Cœli pro aris sistere, Filiumque illius æterno Patri offerre. *Ibid.*

S. Maria OEgniæensis singulis annis ad templum OEgniæense duobus miliaribus distans, bruma sæviante, nudis pedibus itabat, et illo ac sequenti die nil comedebat,

Caroli Magni filius Ludovicus, non imperii solum, sed multo etiam magis paternæ pietatis hæres, venerandam Deiparæ Virginis imaginem tanti fecit, ut eam quocumque iret religiosissime circumferret, in venatio-

nibus ad arborem collocare juberet, ut eam e regione positam inter venandum crebro videret, a tergo relictam subinde respectaret, ad eandem precaturus sæpe recurreret. Idem divina monitus visione, ad arbori truncum novi templi fundamenta jecit, opusque illud SS. Virginis nuncupavit. *ATÆBR-CANZ. l. X Metropolit.*

Peregrinationes ad templa B. Virginis instituenda.

Pastoris filia pecora cum patre custodire jussa, cum frequenter ad desertum templum in pascuis situm accederet, precesque coram imagine B. Virginis cum magno pietatis sensu persolveret, meruit a B. Virgine triplici Virginum cohorte comitante visitari, et post caput sero ornatum ad cœlum deduci, quemadmodum duo Religiosi illac transeuntes, et postmodum moribundæ puellæ assistentes, viderunt. *Specul. Exempl.* d. IX, ex. CXVIII.

Alia quædam puella septem annorum, dum sub arboribus preces persolvit, et pecora custodit, Virgo miri splendoris eam manu arripiens ad ædem Laurentanam triginta mille passibus distantem dedit, iterumque reduxit, ubi talem pietatis erga Deiparam stimulum concepit, ut, cum deinde monasterium ingressa, et Præsidis etiam officio functa, ad nonagesimum usque annum sancte et illibate vixisset, singulis tamen annis ad ædem Laurentanam peregrinata fuerit. *Hist. Law.* l. II, c. XIII.

S. Gerlaeus Ruremundanus singulis Sabbatis ad Aquisgranensem Deiparam nudis pedibus peregrinari solebat; S. Servatii vero reliquias quotidie mane, molesto licet itinere visitare; unde factum, ut, cum in agone Sacerdotem non haberet, S. Servatius a Deipara missus ultimis præsidii et Sacramentis eum muniret. *JOAN. NADAST, in Anno Maria. Sabb.* 29.

Franciscus Toletus, Cardinalis, Romæ singulis Sabbatis e Vaticano, longo satis itinere: pedes, quæcumque anni tempestas foret, itare ad S. Mariam Majorom consecuit, et illic se Reginæ Cœli pro aris sistere, Filiumque illius æterno Patri offerre. *Ibid.*

S. Maria OEgniæensis singulis annis ad templum OEgniæense duobus miliaribus distans, bruma sæviante, nudis pedibus itabat, et illo ac sequenti die nil comedebat,

totamque noctem in templo pervigil precibus impendebat; quo in itinere flexibus et erroribus obnoxio, cœlesti quodam lumine sine errore ducebatur, Angelis dextra lavaque eam sustentantibus, et imbres, cum caderent, accubitus. *JACOBUS DE VITRACO, in ejus Vita.*

Henricus II, Imperator, in mediis peregrinationibus si urbem antiquam ingrediebatur, primam noctem in illa aede, quam B. Virgini sacram reperisset, insonnem inter preces exegit.

Sodalitati nomen dando.

Ferdinandus II adeo B. Virginem et Sodalitates amabat, ut nulla in Ungariæ Bohemiæque regnis, nulla in Carinthia, Styria, Carnioliâ, B. Virginis Sodalitas fuerit, in cujus Album nomen suum non retulerit. *Vita.* c. VII.

Henricus ab Haiden, Canonicus Trevirensis, post septem annos in Collegio Germanico exactos, tandem in patriam abire statuens, febri correptus est. In qua somnus eum quondam oppressit, ex quo evigilans Sacerdoti ad se vocato retulit, se ad judicium vocatum propediem a Demone in tartarum abripiendum fuisse, nisi B. Virgo propterea quod aliquot annis in Congregatione illi servierat, eundem Dæmonem potestati eripisset. *Ib.* n. 27.

Antiphonam Salve Regina recitanda.

S. Gertrudis de Saxonia quondam vespertinis Completorii precibus presens, cum *Salve Regina* cantaretur, sensit se ad illa verba: *Eia ergo, Advocata nostra*, duplicato fervore opem B. Virginis tamquam potentissimæ Advocatæ implorare, simulque videre sibi visa est eandem B. Virginem suæ quondam orationis istius violentia, non secus ac fortissimis ad se trahi funibus; quo viso sane ostendebat, quam efficaciter, sub hoc pio Advocatæ nomine, ad ferendam hominibus opem moveretur. Cum ulterius ad hæc verba: *illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, chorus pervenisset, tunc eandem se Sanctissimam Dei Matrem vidisse aiebat, quæ benedicti Filii sui caput ac faciem deorsum leniter inclinans dixerit: Ecce hi sunt misericordes oculi illi, quos ad eos, qui

opem meam postulant, convertere soleo. Sub hæc tandem ipsum Christum jussisse, ut quotidie hac oratione, saltem semel, uteretur, futura illi olim in mortis hora, ut certum, ita non vulgare solatium et levamen. *L. IV. Rev.* c. LIII.

De Sacerdote quodam a vitæ sanctitate bene noto scribit Cæsarius, cum exorta gravi tempestate audire mugire tonitrua, territusque ad vicinum templum confugisset, et ante Dei Matris aram serio et ardentem se a fulmine servari deposceret, apparuisse illi Sanctissimam Virginem, et jussisse, ut, quotiescumque fulgura et tonitrua existissent, toties *Salve Regina* oraret, ac nihil hac munus prece sibi deinceps ab illis pertimesceret. *CÆSAR. l. VII. Mirac.* c. XXX.

Quinque Psalmos recitanda.

B. Joscio, S. Bertini Audomaropoli olim asceta, in eam erga Dei Matrem pietatis consuetudinem venerat, ut Psalmos quinque: *Magnificat; Ad Dominum cum tribulaveris; Retribue; In convertendo; Ad te levavi*, qui primis suis litteris nomen, *Maria*, describunt, quotidie, dum vixit, legeret. Et ne dubitarent homines, id pietatis officium B. Virgini gratissimum fuisse, prodigiosi flores quinque ex mortui oculis, auribusque, atque ore enati prodierunt, quorum qui de ore fuerat propagatus, in singulis foliis Sacrum Nomen, *Maria*, inscriptum gerebat. *SPINELLUS, in Throno,* c. IV, n. 24.

Officium recitanda.

Assueverat regius adolescens Lusitanus, Sebastianus, Virgineas Laudes destinatis horis descriptis diligenti religione percurrere, nullaque ab eo studio occupatione dimoveri. Itaque, cum forte venaturus equum insulisset, in eam venit cogitationem, se destinatum laudum pensum magnæ Virginis nondum persolvisse. Ergo, nequiquam momentibus aulicis, non defuturum sub noctem tempus opportunum precationi, illico ab equo desilivit, seque consuetum recipiens in cubiculum, stas decurrat laudes, quibus persolutis ad venationem abiit; noluit, dum feras caperet, domesticam sibi elabi pietatem. *RHO, l. III, c. II, n. 1.*

Quam Deo, Beatissimeque Virgini grata

sit hujus officii recitatio, testatus est quidam tempore Caroli, Francorum Regis, regio in Hungaria ortu adolescens, cui id pensi in Virginis honorem quotidie recitare solito, apparuit Virgo Mater, et a carnalibus nuptiis, quibus jam parabatur, abstractum, ad castitatem in ordine Religioso perpetuo servandam traduxit, eidemque festum Immaculatæ suæ Conceptionis celebrandum indixit. S. ANSELMUS, *epist. ad Episc.*

Elemosynas dando.

De Alexandro Peretto, Cardinali Montalto, sic scribit Joannes Rho: Illa meo judicio elegantissima est religio, quæ mixtis cum charitate opibus, versicolori veluti serico oculis animi utrinque ludit, ac delectat. Accenseatur religioni adversus magnam Virginem, quod charitati in virginis illocabiles poterat accenseri. Illius enim reverentia his benefacere Montaltus instituerat. Nullam Deiparæ sacram diem abire patiebatur, quin liberali manu dotatam aliquam virginem honesto in matrimonio collocaret; ratus gratissimum Mariæ accidere, si teneras illas ætates tuto in pudicitie portu aureis anchoris retinerentur. Rho. l. III, c. III, n. 22.

Mortificationi corporis et animi studendo.

Refert Pelbartus in *Stellario Coronæ B. Virginis*, latronem quendam, cum ad domum ejusdam pauperis mulieris divertisset, die Sabbati, observassetque illam cum filiabus jejunantem, jejunii causam quesivisse, cui responderit mulier, didicisse se a quodam conecatore, quod, quicumque in honorem B. Mariæ Sabbatis jejunaret, is eam esset gratiam consecutus, ut sine poenitentia nequaquam vita decederet, damnationem evasurus. Hoc audito, vovit ille statim illis presentibus, se tota vita in Deiparæ Virginis honorem jejunaturum. Jejunaverat ex voto jam aliquot annis, quando in seelere deprehensus, lata sententia, capite plexus est. At ecce abscissum caput: *Confessionem, Confessionem!* clamare cepit. Adfuit extemplo Sacerdos, qui caput trunco jungit, et Confessionem exipit, intelligitque istum ob susceptum in B. Virginis honorem Sabbatum jejunium, sine peccato-

rum expiatione mori non potuisse. Cæterum abscisso capite adfuisse Demones, qui animam abducerent, sed prohibitos a superveniente B. Virgine, quæ animam inde abire non svisset, nisi contritione et confessione rite expiatam. His ergo peractis, astantiumque suffragiis postulatis, anima inde avolvit. PELBARTUS, l. XII, p. II, c. I.

Additissima Virgini Capuciorum nato Hieronymum Politanum offert, tam exactæ in ejus cultu pietatis, ut, quum aliquis eorum in eam diligentius incumbit, domestico detritoque apud eos proverbio, is Hieronymo componatur. Illa præcipua memorantur. Quoties fas illi erat per Ecclesie leges, toties ejus honori ex formula sacrificabat; septimam quamque diem, et quaternas ante ejus quasque festas lucas, totidemque post dies illas, cibario pane, ac frigida contentus transigebat. Reliqua haud erant dissimulanda, sive laudibus, conceptisque precibus, sive privatis colloquutionibus publicisque sermonibus ea esset celebranda, semper reliquos inter eximias erat Hieronymus, celsissimo quodam animo, et liquidissima voluptate. Rho, l. c. n. 25.

S. Carolus Borromeus ante omnia festa Deiparæ solemniora jejunium in pane et aqua observabat. *Parad. apert. c. III, ex. 2.*

Quidam latro diem Sabbati a quodam Cisterciensi monacho jejunare, et a cæde abstineri doctus, in primis contritionem peccatorum in morte, post hanc vero honorificam sepulturam obtinuit. Capite enim plexus, et extra urbem sepultus, nocte sequenti a quinque matronis candelas accensas in manu ferentibus, ex sepulchro effossus, et feretro eleganti impositus, custodibus urbis traditus est cum mandato, ut monerent Episcopum de eodem in Ecclesia sepeliendo. CÆSARIUS, l. VII, c. XIII.

Alius cum suavis ejusdam mulieris iudicem omnibus diebus Sabbati jejunasset, in silva jam decollatus mori citius non potuit, quam Confessarius ex urbe vicina evocatus confessionem illius exiperet. PELBARTUS, in *Stellario*, l. XII, p. II, c. III.

S. Thomas Cantuariensis omni die Sabbati cilicium gestabat, quod adeo placuit B. V. ut eum quodam die in eodem refectio- dum juvaret. S. ANTON, p. IV, tit. XV, c. II, §. 2.

Nobilis quidam lascivæ vitæ irretitus, cum S. Bernardi suavis primum triduum die- rum intervallo ad honorem SS. Trinitatis, to-

tidemque pro Dei Matris reverentia a luxuria abstinisset, usque adeo mutatus est, ut etiam perpetuo voto sese ad pudicitiam servandam adstringeret. *Parad. apert. c. XI, ex. 8.*

Miles quidam, qui virginem, Mariæ nomine vocatam, Sabbato ob honorem Virginis Matris, stuprare omiserat, contritionem in torneamento elicere, et ad æterna gaudia ab ea perducere meruit. *Spec. ex. dist. IV, ex. 3.*

Nihil negando in ejus nomine petentibus.

S. Gerardus, primus Ungariæ Martyr, nomen B. V. interponenti nihil unquam negabat; unde omnis generis homines, quæ volebant, ab eo impetrabant; hæc clave ejus mens et arca patuit. *Paradis. apert. c. III, ex. 7.*

Alexander Ales, vir doctissimus, eamdem sibi legem imposuit, unde sub hoc titulo ad Ordinem S. Francisci invitatus paruit, non sine egregio animi solatio fructuque. *Ibid.*

Franciscus Sfortia, Dux Mediolanensis, cum Casanova in potestatem reducta, puella raræ formæ ad eum redacta fuisset, et hæc imaginem Deiparæ in cubili aspiciens, per honorem, quem imagini deberet, rogaret, ne pudorem illius violaret, usque adeo insolentis his precibus permotus est, ut mox eam illesam cum præsidio ad suos deduci jussent. *Ibid.*

Cultum illius promovendo.

S. Stephanus Rex, hortante S. Gerardo, vehementer laboravit, ut totum suum regnum Deiparæ colendæ esset deditissimum, ut ejus festa pridianis jejuniis et singulari pietate transigerentur; ut ad sacratiss. Mariæ nomen flexis genibus, et demissis in terram capitibus, se cuncti inclinarent. Unde et Ungaria a sancto Rege familia S. Mariæ appellata est. GASP. TAUSC. l. III, prax. 15.

S. Ludovicus IX, Rex Gallie, non contentus Bononiensem Comitatum cum oppidis B. V. consecrasset, in regno insuper universo voluit sub meridiem ære campano signum ad salutationem Angelicam dari. *Ibid.*

S. Dominicus cum ab eo Blancha, Francia Regina, petisset, ut filium ipsi impetraret, auctor illi fuit, ut Rosarium sedulo oraret, et multa insuper oraturis distribueret; id enim si faceret, prolem masculam habitu-

ram. Fecit, et mater S. Ludovici est effecta. *Ibid. n. 3.*

B. Vincentius, Dominicanus, omnes conciones recitatione miraculi per B. V. patrum claudat; hinc in agone Deiparæ aspectu et auxilio confirmatus, ejusdem laudes concinendo expiravit. *Spec. ex. d. 7, ex. 57.*

Franciscus Retzanus, itidem ex Dominicana familia, sex annorum spatio Theologiam prælegens, singulis sublati dimidiam prælectionis partem, decore et cum gratia in laudem hujus Virginis deflexit, et frequenter eo sensu, ut uberes lacrymæ verba docentis interpercerent. Tria bene magna volumina in laudem cælestis Virginis scripsit. MIEKOV. disc. XXVI, n. 24.

Joannes I, Rex Lusitania, tria magnifica in honorem Virginis sanctissimæ monasteria struxit, quorum primario, quod prope Ulisiponam ab Oliveto dicitur, tantum argenti pondus donavit, quantum ipse cataphractus a capite ad calcem pendebat. Suam quoque ibidem hastam, et militare vexillum suspendit, monumentis artificum manu elaboratis, quæ eo loco obtulit, quater centena millia aureorum nummorum excedebunt. Collegium quoque triginta duorum Canonorum, quorum cuilibet quadringentos ac quinquaginta aureos attribuit, extra annum Episcopi redditum, qui ducenta et quinquaginta ejusmodi nummorum millia faciebat. Officium B. V. non modo ipse cum magno pietatis sensu quotidie recitavit, sed aliis etiam, qui meliore apud ipsum loco erant, idem faciendi auctor fuit. *Parad. apert. c. X, ex. 8.*

Stat in Quirinali Virgini a Paulo V, dicata cella, ejus in caeli terræque Reginam obsequi, atque plusquam regie magnificentie argumentum ingens. Nihil in urbe majus, aut elegantius videt civis, miratur peregrinus. Vario marmore Lunensi, Hispanico, Luculleio, Africano nitent parietes, pilæ, pavimentum, coronis. Porro ara ipsa, supra quam Deiparæ imaginem Divi Lucae ductam penicillo, in pretiosissimo e gemmis forulo collocatam colimus, vario jaspide, mira atque eleganti varietate colorum, ac plurimo inaurato ære, columnis, magnisque famulantium Angelorum simulacris ad miraculum fulget. Ad hæc constituta Sacerdotia, additi annui redditus, argentea atque aurea vasa, et vestis affatim dives, plurimo provisu in sacrorum ministerium comparata. Atque hæc omnia humillimæ servitutis ti-

tulo eidem Virginii obtulisse se publico epigrammate testatus est in hæc verba: « D.V. Dei Genitricis Mariæ Paulus V. Sacellum obtulit humilis servus, anno salutis Domini M. DC. XV. Pontif. VI. » Quamque nondum satis a se cultam Virginem crederet, quamquam sacratio et odoæ Basilicam auxisset, majus aliquid molendum ratus, immanem columnam striis ingentibus, ac plusquam palmariis nobilem, Lunensi ex marmore, quæ sola in Templi Pacis parietinis supererat, depositam, magnoque ergatarum molimine in Exquilium ex foro nunc Boario translata, erectamque, Virginis aëro inaurato, ac prægrandi signo superimposito, consecravit. Ut plane mirari desinat haud dubia virginitatis ac summæ pudicitie fama obisse Pontificem, qui in Virginis fuerit clientela. Ruo, l. c. iv.

Anno 1647, quo tempore Vandalicus turbo jam universam prope Germaniam secundo Marte pervagatus, Bohemiæ sese, ac hæreditariis augustissimæ Austriadum familia provinciis violentior infundebat; sacratissimus juxta pietissimus Imperator Ferdinandus III, ut labantibus Imperiæ, Fidoique rebus fulcrum subjeceret, laboriosi pariter ac sumptuosi operis columnam erexit, futuram posteris sæculis, non minus Austriacæ pietatis monumentum, quam statutum (ut sperare licet) furori Baltico colossum terminalem. Moles est, si materiam spectes, solido excisa lapide, et perferendis in ævum sine offensione cœli injuriis perquam idoneo. Basin circumducti per artem quaterna in latera, æqualibus a semet spatiis discedentia, coronant cancelli, et modico ab eadem intervallo divisi angustam in circuitu viam aperiunt. Basi, qua parte cœnitiis lateribus in angulos acuitur, quaterna insistant; vel Heroum vel Angelorum simulæ, qui caput galea, umbone pectus, lævam clypeo, ac ense dexteram armati, ictum singuli in subjectum pedibus monstrum delibant. Ac primus quidem, qui in orientem prospicit, et ferientis similis contrucidat, inscriptionem de clypeo ostentat: *Annulablis sper*. Postremus, qui in aquilona-

rem plagam, et vultu, et armis minatur in basiliscum desævienti, hoc proculcatam belluam lemmate alloquitur: *Non pro te lec*. Media in proceram altitudinem assurgit columna, et prope paris cum ædibus altitudinis, supremo vertice portat ingentis magnitudinis statuam, quæ sine macula conceptam Deiparentem Virginem, tam antiqui serpentis caput victore calcaneo proterentem, quam velut e sublimi specula in suorum salutem excubantem representat. Stabat jam in amplissimo, ac urbis capaci foro ante ædes sacras Domus Professæ Patrum Soc. Jesu, solidata moles; sed dubiæ adhuc eam inspetantium mutabant cogitationes, quam tandem in partem pietissimæ Cæsaris sese consumeret deliberatio; donec incisa basi epigraphæ omnem sustulit dubitationem. Eam vero fuit, augustissimo ipso Imperatore dictante, in hæc verba concepta, et artificioso chronographico conclusa.

Deo Optimo Maximo
Supremo cœli terræque Imperatori,
Per quem Reges regnant,
Virginis Deiparæ,
Immaculate Conceptæ
Per quam Principes imperant;
In peculiarem Dominam
Austriæ Patronam,
Singulari pietate susceptæ;
Se, liberos, populos, exercitus, Provincias,
Omnia denique confidit, donat, consecrat,
Et in perpetuam rei memoriam
StatVam hanc cX Voto pont
FerdinandVs tertIVs aVgVstVs.

Tunc scilicet patuit, Austriacæ pietatis consilia, in Immaculatam Virginis Conceptionem publico ac peculiari, vel cultu et honore prosequendam, vel studio et amore propugnandam conspirasse. Sed ne in re, nova quidem, et hæctenus a sæculis inaudita, fragile quidquam, et quod ætatem non ferret, statuaretur; placuit coactis in consilium Austriæ Ordinibus, Provinciali ac Urbico Senatu, Religiosorum Superioribus, Episcopo et Clero, ea, quæ publicum contingerent, et nisi conspirantibus capitibus egre perennarent, in deliberationibus argumentum proponere. Ea vero fuerunt; venisse sibi in mentem diu amatam, ac privato semper honore cultam Immaculatam Virginis Conceptionem, in publicam etiam venerationem promovere. Hanc in rem erectam a se statuam, quam etiam solemnem Ecclesiastico ritu a Pontifice velit dedicatam; velit proinde jubentque diem Decembris octavam Immaculate Conceptioni sacram, non

solum festo ritu a Statibus, ac universo populo celebrari, quod jam pridem gloriosissimæ memoriæ Augustiss. parens Ferdinandus II, decrevisset; sed pridiano etiam Junio anteveneri, ac omnium voto Austriæ Patronam dici. Neque difficile fuit, extorquere ab iis consensum, quibus exemplum Principis est imperium. Proni ierunt omnes in sententiam, in quam prævit primus Imperator.

Dicitur ergo Dedicatio dies 18 Maii læntis anni M. DC. XLVII, qui, ubi illuxit, universam prope civitatem ad pietatis obsequia excitavit. Convenerant enim sub horam octavam matutinam cumulatissima panegyri, sacratissimi Cæsaris, non tam imperio, quam exemplo, provocati, serenissimi Archiduces Filii, Ferdinandus IV, tunc Bohemiæ, ac, mense post, Ungariæ Rex solemnibus Comitibus inauguratus; serenissima Maria Anna, nunc potentissimo Hispaniarum Regi Regina desponsata; tres, Sedis Apostolicæ, Catholici Regis, ac Reip. Venetæ, Legati; Aula Cæsarea ac Regia; Regiæque Gynæceum; et omnis summi, medique nominis Nobilitas; Religiosi ordines; omnis hominum conditio, ordo, status, et sexus ad sacras ædes R. Patrum Discealceatorum Ordinis S. Augustini, Aulæ Cæsareæ conterminis; quas cum confluentium multitudo fecisset angustiores, effusus in plateas populus innumerus vias ipsas, et fora meantibus coarctabat, gaudebatque vel sic in pietatis partem venire. Exinde ergo per instratas æquali ponte vias, non minus modesto, ac ad pietatem comparato, quam angusta Majestate verendo ordine processum est ad templum Reverendorum Patrum Societatis Jesu Professorum in summo foro situm; ubi ad quietem composito subvenientium strepitu, Reverendus P. Joannes Gans et Soc. Jesu, SS. Theologiæ Doctor, et Sacræ Cæsareæ Majestati a conscientia, ad stipatissimam concionem, qua pollet summa, et per principes cathedras jam a plurimis annis maximum cum plausu approbata dicendi facultate, ea facundia ubertate de laudibus Immaculate conceptæ Virginis, presentique ejus in rebus calamitosissimis patronico dixit, quam vehemens animorum motus, ac certa omnino in auditorum pectoribus, impetrande per ejusdem auxilium tranquillitatis, spes insequeretur. Dictionem exceptit Sacra ad summam Aras Liturgiæ, faciente ad cæsareos symphoniacorum choros illustris-

simo ac reverendissimo Principe Philippo Frederico, Episcopo Viennensi. Jamque ad eam partem deductum erat Sacrificium, qua pacis osculum presentis Principi per Subdiaconum in privatum oratorium deferri consuevit, cum augustissimus ipse Imperator, dissimulata Majestate, toto oris corporisque habitu ad pietatem æque ac demissionem composito, in publicum egressus, ad cancellos summæ Aræ, ad quam solemnissimè pompa agebatur, constitit, seseque lumi in gena demisse provolvit, donec oblata hostia per sacrificentem Antistitem absumeretur. Tum vero posito gladio in manus illusterrimi Comitis Joannis Rudolphi a Puchaim, intimi sui Consilarii, ac Supremi Camerarii, intra ipsos cancellos progressus, obvium habuit conscientia sue arbitrum, jam præfatum R. P. Joannem Gans, una cum ministrante Clero, qui impositam Evangeliorum libro voti formulam teneret. Immolans autem Pontifex ad prostratum Cæsarem conversus latentem in Encharistia Deum, cui votum ediceretur, proponebat. Tum voce, quæ a circumstante populo facile exaudiretur, votum auspiciis Cæsaris: « Omnipotens, inquit, sempiternus Deus, per quem Reges regnant, in cujus manu sunt omnium potestates, et omnium jura Regnorum; Ego Ferdinandus coram Divina tua Majestate humiliter prostratus, meo, meorumque successorum, et Inelytæ hujus Provincie Austriæ nomine, Immaculatam Filii tui Matrem semper Virginem Mariam, hodie in peculiarem Dominam, et Patronam hujus Archiducatus invoco, et assumo; insuper voce, ac promitto, ejusdem Immaculate Conceptionis Festum, quod cadit in diem 8 Decembris, solemniter, etiam quoad forum, in hac Provincia, quotannis, prævio, more Ecclesie, consueto Jejunio in ejusdem pervigilio celebrandum. Te deprecor, supreme cœli terræque Imperator, qui, quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas, votum hoc meum, quod suggerere elementer dignatus es, benigno favore prosequere atque ad protegendum me, Domum meam, populosque mihi subjectos dexteram tuam Majestatis extende. Amen. »

Die 18 Maii 1647, in Ecclesia domus Professæ Societatis Jesu, ante Aram summam in manus Principis et Episcopi Viennensis, Philippi Frederici de familia Breinerorum, finierat, et dictus R. P. Cæsareæ Majestatis a secretis conscientia, conscriptam voti for-

mulam ad seræ posteritatis memoriam in domo Professæ conservandam receperat; tum de Pontificis manu Sacratissimam Synaxim accepit Imperator, et cancellis iturum, junctis ante pectus manibus, ogressus, eo corporis situ, ac reverentia hospitem Deum adoravit, quæ etiam circumstantes peculiari religionis ac pietatis sensu afflaret. Exactum jam erat Sacrificium, sed necdum pietatis officia terminata. Placuit enim Augusto, post adoratum Deum, secunda Religiosis obsequia in ejus immaculate conceptam Matrem conferre. Assumpta ergo in pietatis consortium utraque serenissima prole Ungariæ Bohemiæque Rege Ferdinando, ac Hispaniarum Regis Sponsa Maria Anna, comitante Pontificæ Clero universo, de angustis Ecclesiæ parietibus in fori patulum, ad erectum sine macula conceptæ Virginis trophæum sese penetrat Imperator. Effunduntur simul Religiosi Ordines omnes, ac undantis populi nimbus, surgentemque medio in foro molem stipatissima obsidione coronant. Accedit vicinior statuae sacrorum Pontifex, et conceptis eademque verbis, ac solito ritu, Dei, Immaculatæque Virginis Matris honoriconsecrat, dedicatque. Insectus est symphoniarum omnium et tota urbe collectorum, ac etiam tubarum campestrium, ac tympanorum, choros divisorum plausus, qui, cum Lauretanam elogiorem seriem Augustissimæ Matri decantarent, calidam in circumprostrato populo devotionem, certamque præsi di fiduciam excitant. Ascenderat jam non tam suo, quam pietatis calore, fervidior dies in meridianam stationem, cum dimissa matutina Imperatoris, vespertinam cepit Imperatrix Eleonora solemnitate meditari. Jussit enim vero post solis occasum ita forum omne illustrari, ut nulla circum pateret fenestra, quæ non geminato luminari prætexta augustissimæ familiæ insignia irradiaret. Cancellos deinde, qui colossum ambiunt, totidem respendere lampadibus, quot ipsi columnellis assurgunt; ac demum pensilibus lucernis, in vastæ magnitudinis coronam, aut plenam iridem eleganter ductis, statuum ipsam redimiri. Valuit ea quidem res ad amenum oculorum spectaculum, ad quod plebs omnis, omnisque civitas effunderetur; sed vel maxime ad incendenda novæ pietatis officia, ad quæ merito Augustiss. ipse Ferdinandus III, Augusta Eleonora, Rex Bohemiæ Ferdinandus, ac Hispaniarum

Sponsa Regina, Maria Anna, obductis jam cœlo tenebris Majestatis suæ lucem conferunt. Tenet ea pompa in alteram noctis horam; neque prius spectatores dimisit, quam post imploratum melico concentu, per angustos Virginis titulos, cœli præsidium, impertita Pontificis manu, ac voce benedictio populum signasset.

Sic terminatus est dies ille, perpetua apud posteros luce radiaturus, quo Augustiss. Ferdinandus Immaculate conceptæ Virginis imaginem populorum devotioni proposuit, ipse securaturæ posteritati pietatis exemplar proponendus. At vero, ne uno die nata denasceretur sequentibus veneratio; placuit sacratissimo Casari de pietatis consulto imperare, ut occidentis hebdomadæ vesper, hoc est, Sabbati crepusculum, decantato Lauretanæ Virginis encomiorum syllabo, et dictis per Sacerdotem de B. Virginis immaculata Conceptione, pro Imperatore, pro Pace, orationibus, celebraretur. Atque ut jussum promoveret liberalitate, statuit æterna fundatione sexcentos aureos Rhenenses, ex quibus ducenti quadrageni musices directores, ac duodenis vocibus in stipendium cederent; alii decem supra ducentos in melica instrumenta et organum impenderentur, quinquageni Curatis ac facigeris ad aram statuae adstituris persolverentur; centenis denique emeretur majoris campanæ pulsus, quo populus ex D. Stephani turri ad dictam solemnitate evocetur. Hoc ita in perpetuum rite sanctæque stabilito, sub respectum Sabbati crepusculum, post datam diuturniorem, e dicta turri D. Stephani, maximi campani æris pulsus, magna semper plebis, civium, mediæ, summæque nobilitatis multitudo in forum congregatur, et dum Lauretanis salutatur immacula Virgo elogiis, in genua procidua, suas, publicæque rei necessitates deprecatur. Accedunt et pervigilia, festique omnes Augustissimæ Virginis dies, quibus sanctus terminandis eadem semper celebritate convenitur. Auspicium his datum est ipso Visitantis ad Elisabetham Virginis, qui primus tunc adveniebat, festo die, quando piensissimo Augustæ Eleonore voto, ac desiderio, omnes totius urbis Sodalitates partita devotione, ita sibi Octavam totam una cum privigilio pie obeundam diviserunt, ut quot diebus una vel plures magno funeralium illustres splendore, et ad Antistitis comitatum numeroso Clero candidatæ, per confertissimam adgo-

nieulantium multitudinem propinquiores sese inferrent statua, et Virginis affuse simulacro pro sacratissimi Imperatoris incomumitate, qui tunc bellicis vicinior periculis ad Egram agebat, Protectricem suam deprecatur. Cæterum quam Deo, Sanctissimæ Matri ejus accepta fuerint hæc pia pii Imperatoris vota, haud sane vana conjectura potest colligere, quisquis meminerit, repressam continuo Sueciam ab hæreditariis Austria ditionibus barbariem, ac brevi post secutam pacem, qua jam per totum Romanum Imperium omnes jucundissime perfruuntur.

Maria imitanda.

Pictor quidam, dum B. Virginem elegantissime depingere, Diabolum vero fœdissima specie representare studet, hic quidem ei substracto pegmate, cui insistebat, interiit paravit, sed a quo imago B. Virginis eum extenta manu in aere suspensum tenens liberavit. *Spec. Ex. d. IV, ex. 9.*

S. Hedwigis, Ducissa Poloniae, continuo auream imaginem B. Virginis in manibus portabat, ut, quoties eam aspiceret, incitaretur tum ad debitum illi cultum exhibendum, tum ad virtutes ejus præclaras imitandas. Unde et in morte tam fortiter eam retinuit, ut nulla vi eripi potuerit; immo etiam digiti tres, quibus eam tenebat, post viginti quinque annos incorrupti manserunt. *In Vita, 13 octob.*

S. Isabella, soror unica S. Ludovici Regis, cenobium instituit Humilitati B. Virginis dicatum, cui nomen a Longo Campo est. Quod institutum idcirco illius virtutis indigitatione voluit appellari, quod vehementer B. Virginis humilitatem admiraret, et ipsa niteretur eam virtutem totis viribus potius, quam ullam aliam, sectari. *Paradis. apert. c. IX, ex. 5.*

B. Joanna Franciscæ itidem humilitatis perquam studiosa, ut B. Virginis submissionem magis coegeret, Ordinem ex virginibus sacris coegit, cujus Antistita *Ancilla* vocaretur. *Ibid.*

EXEMPLA DOMESTICA.

Maria amanda.

S. Ignatius augustissimam Cœli Reginam inexplicabili complectabatur amore. Hinc a

prima sua conversione ipsam in Patronam et Matrem elegit, et coram ejus imagine integras quandoque noctes orando consumens, satiari, et avelli a tanto opere dilecta non potuit. *BOURGINS in Soc. Deip. sacra.*

B. Aloysius cum de B. Virgine loquebatur, se cogitabat, immo vel nomen ejus audiebat, spirituali quodam devotionis et amoris sensu totus commovebatur, et colliquecebat. *Vita.*

B. Stanislaus filii amorem usque adeo erga B. Virginem induerat, ut eam in omni sermone Matrem appellare consueverit, idque tanto cum sensu et ingenuitate, ut audientibus partem suæ suavitatis aspergeret. Cumque frequentissime de ea loqueretur, nova semper et magnificentissima, nomina excoGITabat, et gradus altissimos, in quibus esse collocabat; videbaturque grave illi esse, quod verbis iudicii sui præstantiam adæquare, nec celsius quidpiam invenire posset. *Vita.*

P. Franciscus Costerus suum erga Deiparam amorem ex eo satis ostendit, quod nihil illi gratius accidebat, quam sermo de B. Virginis laudibus et miraculis institutus, amatque tenere, quotquot ejus amatores reperisset. *MREKOV. disc. XCII, n. 145.*

P. Alphonsus Salmeron, unus ex primis S. Ignatii sociis, adeo os et calamus Jesu et Mariæ amori dedicaverat et honori, ut sancta proluxa scriptio sit utrumque testata. Domi in eo, quod a mensa habetur, colloquio Christus illi erat in ore, et Christipara Virgo, dabatque dextre ansam etiam aliis, vel de utroque, vel de alterutro saltem colloquendi. *J. NAD. in anno Mar. Sab. XXXV.*

Alphonsus Rodriguez, coadjutor, tam tenere B. Virginem amabat, ut dicere cum fiducia ei ausus sit: O Domina, ego te impensius longe, quam me ipsum, amo; te amplius diligo, Mater mea, quam tu me diligas. Sed B. Virgo ei apparens dixit: Non est ita, ut sentis, mi Alphonsus, sed ego te impensius amo, quam tu me diligas. *BOURGEN. c. x.*

Joannes Berchmanus, scholasticus Societatis, ita amabat B. Virginem, ut per omnem occasionem de ea loqueretur. Ob ejusdem amorem, erga S. Josephum quoque affectum singularem tum ipse induit, tum in aliis hortatu suo excitavit. Extrema vite suæ vespera cuidam suo commilitoni id forte interroganti respondit, presentissimum, potissimumque præsidium, quo ad religiose

vitæ perfectionem adipiscendam erat admissus, fuisse amorem religionemque erga B. Virginem. Quotidie sub Sacro petebat affectum erga illam a Deo. Scripsit sibi: Nunquam acquiescam, donec obtineam tenerum amorem erga dulcissimam meam Matrem. Et alibi: Non sum securus, nisi habuero verum et filialem affectum erga B. Virginem. *Vita*, fol. xcii.

Alphonsus de Obando nullum opus faciebat, nisi amore Virginis, illamque cogitans; ideo dicere solebat, hunc amorem esse panem suum quotidianum, quem omnibus pietatis suæ exercitiis adjungeret. Quemadmodum enim panis alimentum est quotidianum, cibique generalis, qui cum aliis omnibus essentis sumi solet; ita devotionem erga B. Virginem ordinariam esse debere, suamque in exercitiis omnibus locum habere. NIEMEB. *de Amore Deip.* c. xxii.

P. Desiderius Colinus in phrenesi ad nomen B. Virginis mox sibi restituebatur; quod jubebatur, nomine B. Virginis, etsi molestum foret, mox faciebat dicens: Absit, absit, ut ego amore Deiparæ nolim obedire! Annua 1609, fol. 207.

Maria invocanda.

S. Ignatius omnem suam spem post Deum in patrocinio B. V. defixit; hinc in ipsa statim prima de vita mutanda deliberatione totam noctem coram ejus imagine in monte Serrato inter preces consumpsit, ex intimi animi visceribus se eidem commendans, ac superioris ætatis vitia delens, totum se toto pectore uni Deo, cui in posterum militaret, devovens sub Virginis protectione novam vitam atque militiam auspicatus est. MIEKOV. disc. 392, n. 133.

S. Franc. Xav. Meliaporæ inter verbera Dæmonum assiduo clamavit: Domina, optulare! Domina, non optulaberis? In hora mortis quoque ingeninavit: O Mater Dei, memento mei. In Catechesi tradenda opem B. V. implorabat, post singula præcepta Salutationem cum Catechistis recitans, et in fine *Salve Regina* subjungens. *Ex Vita*.

P. Franciscus Suarez in suis necessitatibus et dubiis ad B. V. potissimum recurrerebat, ei nodos difficiliores velut consultandos et explicandos, facta prece, proponebat. BOUÏER. in *Societ. Deip.* c. xx.

P. Thomas Sanchez inter cætera in suis notatis scriptum reliquerat: Omnis mea

cura et sollicitudo erit SS. Sacramentum Jesus Crucifixus, Virgo Maria, erga quam singulari studio afficiar; ad illam ut Matrem in omnibus necessitatibus, difficultatibus, studiisque recurram; per eam Deo gratias agam pro quovis opere facto in Dei obsequio; per eam veniam precabor pro quovis defectu admissis; per eam illos Deo commendabo, qui mihi molestiam aliquam exhibuerint. *Ibid.*

P. Petrus de Anaseo a pueritia cepit fiduciam suam habere ad Matrem Virginem; hinc si parentes in ipsum magis irati, B. Virgini id querebatur, et mox mitiores sunt facti. Singulis diebus ante schoolam B. V. auxilium in templo petebat; quod si omisit, infortunium illico sensit. Vigessimum secundum annum agens cum gravi morbo fuisset afflicto, non modo a B. V. apparente curatus est, sed ab eadem etiam ad S. J. invitatus. In quam ingressus singulis Sabbatis, quibus jejunabat, speciale aliquod beneficium se accepisse fassus est. BOUÏER. loc. c. et *An. Peruan.* 1661, in *miss. Peruan.*

Joannes Berchmannus si quid a B. V. impetrare volebat, syngrapham ejus imagini affigebat, qua certum opus ad ejus honorem se facturum pollicebatur, si id, quod petebat, impetraret. *Vita*, fol. 163.

P. Alphonsus Cortesius incredibili erga B. V. observantia et fiducia ferebatur, unde cum internis animi afflictionibus premerebatur, ad hanc piissimam Matrem recurrere, semper desideratum retulit solatium. SYLL. PERTAN. 1626, 17 Nov.

P. Alphonsus Vera si quid eam illis, quorum curam gerebat, efficere volebat, tantum B. V. rogavit, et statim, quidquid voluit, impetravit. *Ann. Castell.* 1597.

P. Ferdinandus Monrois cum Indi ejusdem confessionem audiens, nonnulla intelligere non posset, quam primum ad orationem se contulit, et B. V. opem imploravit, rediit ad confessionalem, audivit, intellexit, absolvit. P. BONIF. l. IV, c. ix.

Jacobus Saravia, coadjutor, in Mauros prædones incidens, prolo Rosario Sancto (nam sic semper appellabat): Nihil vos formido, inquit. Hoc fretus, et intactus evasit. *Hist. Soc.* p. II, l. ii, n. 146.

Idem alteri cuidam accidit, qui iter faciens septem fuliginosos et igneos Dæmones molossorum specie obvios habebat, et arrepto Rosario in fugam dedit. P. BONIF. loc. c.

P. Marcellus Mastrillus, a tauro ferociente abreptus, iconem B. V. aspiciens, opemque implorans, innoxius ab eo depositus est. JOAN. NAD. *Sabb. Lit.* an. *Mar.*

Maria veneranda.

B. Aloysius, adhuc puerulus, ad quemlibet scale gradum salutationem Angelicam recitabat. Singulis Sabbatis jejunabat, ejus adieclas libentissime visitabat. Ejus officium quotidie recitabat. *Vita*.

B. Stanislaus in prima adhuc ætate Rosarium nunquam de manibus deponebat, aut certe libellos precationum et laudum Deiparæ tractabat. Ad Angelicam salutationem et similes preces, dum in novitiatu vixit, ita afficiebatur, ut nec a lacrymis temperare, nec animi sensum occultare posset. BOUÏER. *ex Vita*.

P. Balthasar Alvarez imaginem B. Virginis constanter in pectore gerebat tanquam scutum contra quasvis tentationes. Festa ejusdem singulariter colebat, et ferventi ad ea oratione se præparabat. MIEKOV. d. cccxcix, n. 142.

P. Gonsalvus Silveira, quoties imaginem B. Virginis conspicebat, demissis moderate oculis, et magna capitis et totius corporis inclinatione, flexis etiam nonnumquam genibus venerabatur. *Ib.* n. 137.

Franciscus Toletus, Cardinalis, jejunio quadragesimæ diurnum festum Assumptionis præveniebat. Templum B. Virginis a *Palmis* præ vetustate jam fere collapsum reficere coeperat, sed morte præventus non potuit perficere. S. Lucam et S. Joannem Evangelistam præ cæteris colebat, illorum etiam Evangelia doctissimis commentariis illustrabat, eo quod ille *Notarius* Virginis, hic *Patronus* et *Custos* fuerit, bona omnia, excepta bibliotheca, Basilicæ S. Mariæ Majoris legavit. *Ib.* n. 144.

P. Franciscus Costerus nullam imaginem B. V. præteribat, coram qua salutationem Angelicam non recitaret. *Ib.* n. 145.

Alphonsus Rodriguez, Coad. quadragesimæ annis constantissime Officium de Immaculata Conceptione recitavit. BOUÏER. c. x.

P. Sebastianus Barrada non patiebatur ullam imaginem B. Virginis esse neglectam aut loco minus honesto asservari. Unde si fragmentum in ambulacro reperisset, reverenter sublatum in suo Breviario reponebat. Rogabat Philosophiæ professores, ne the-

sium suarum imaginibus augustissima Jesu et Mariæ nomina imprimi sinerent, eo quod honesto satis loco ea collocari non crederet. BOUÏER. c. xxii.

De Hieronymo Gignardo sic scribit Joannes Rho: Amicissimi adolescentis pietatem nos, qui olim, quum eo familiarissime uteremur, sumus admirati, posteris ad exemplum prodere maxime decet; qui enim ignota colligimus, cur familiaria, quibus ob imitandi facilitatem commovetur magis animus, nescio, qua longinquitatis admiratione, ac nostrorum contemptu, ineptissime dissimulamus? Mediolani, diligentissimo post Sanct. Carolum religionum cultu, Virginis Deiparæ frequentissime in publico imagines ac signa videntur; eorum nullum insalutatum Hieronymus adhuc adolescens præteribat. Venerabatur autem aperto capite, salutatione Angelica semel recitata, mira modestissimi oris suavitate; sive in sole essemus, sive pluvia caderet, non omittebat, et quia frequentes imagines sunt, hæc illi quasi perennis erat occupatio. Idem quum in ejusdem Virginis œde Bererana, quam Societas curat, ante Virginis a Lovino suavissimo ac celeberrimo artifice felicissime depictam procubisset, tunc lacrymis, quibus dulcissime fluentibus sinum opplebatur, pro animi sensu libere indulgens, ditissime divina contemplantur. Idem demum quum primum conceptis ex formula votis religiosum dixit sacramentum, eadem, bona Præsidium venia, paululum immutata, totum se Virgini addixit, usurpabatque, quoties animo suo vellet obsequi; nam in Virginis cultu ac nomine totus acquiescebat; ubi enim major animorum quies, quam ubi ipse quievit Deus? RHO, l. III, c. v, n. 25.

Idem auctor de Jacobo Ceruto sic loquitur: Somnum, quem mortis consanguineum elegantissimum poetarum appellavit; virginis hunc quoque laudibus addeceat concorari; sed indocilem, atque obsequii insuetum, nisi de celo major aliqua adsit virtus, neminem puto habiturum in potestate. Verum quam prompto in vota celo utamur, si Virgini famulandum est, magno suo bono expertam fuisse Jacobum produunt annales. Etenim cum celeberrima invocatione solemnibus Litaniarum formulis frequentissime usurpatis, tota die in ejus obsequio versaretur, sibi tamen minime satisfaciebat, quod somno ab ea pietate abstereretur. Sed brevi noctem quoque ipsam illi habuit obsequen-

tem. Ter somnum abjungere, et magnam Dei Matrem venerari didicisti; excitabaturque haud dubia vi superiori, quamquam altissime obdormisecret. O salutare ac vere virgineas vigiliis! Nam, si, qui ad eam mane vigilent, eos salutis potituros divina produunt oracula, quam amplam illis obvenire necesse est, qui noctu insuper pervigilant? Ib. n. 12.

De pluribus aliis hæc habet citatus auctor. Antonium Madridium, domesticis operibus exercitissimum senem, octogesimam usque ad ætatem, et septima quoque die, et in vigiliis omnibus Virginis pane et frigida famem fregisse accepimus. Franciscum Hortulanum, laici ordinis virum, virtutibus omnibus exultissimum, eorumdem felici auspicio, quum primum lucem hausit, sublati junctisque manibus linguam in ejus Angelicam salutationem solvisse, grandi miraculo. Godefridum Thelinium a susceptis animorum causa laboribus tantum sibi otii quotidie sumpsisse, ut quadragesimæ quadragies Angelica salutatione recitata, interjecta per singulas decades oratione Dominica, Virginem veneraretur. Dominicum Assensum, hominem frugiferæ in animarum conversione operæ, nihil sibi reliquum fecisse, ut mortales libellis, imaginibus, concionibus, supplicationibus, mira semper ac nova inventionum varietate, ad Virginis cultum excitaret. Petrum Antonium Spinelum eidem septennem adhuc virginitatem suam voto dedicasse, ac in illius postmodum obsequio ita vitam omnem transexisse, ut de illius etiam laudibus præclara scripserit; item sæpius ad Lauretanam ædem peregrinantem, in eaque quondam pernoctantem, honores, qui sibi imminabant, deprecatum fuisse, nihil demum magnæ rei orsum, quin prius in aliqua Deiparæ nomine sacrae de Sacro facto, divinum numen per eam sibi conciliaverit. Martinum Delrionem de illius laudibus perpetuo disserentem scribere orsum in Societate eadem, quod hæc ætate, ante illum nemo, de illa totum Canticum Canticorum diligentissime ac luculentissime fuisse interpretatum. Hermannum Hugonem in omnem ejus honoris amplificandi occasionem intentissimum, non alio quam bonæ Matris nomine appellasse. Petrum Menaccium, Peruvianum in Regno sapientiæ oraculum, ob eamque rem consulentiæ de conscientia passim mortalibus occupatissimum, Virgini repetitis ad Rosarii numerum Angelicis salutationibus

venerandæ, destinatam quieti inimicæ laxationi horam quotidie seposuisse. Matthiam Paulum Vagnerum, adolescentem castissimum, conceptis certa quadam religione votis, illi veluti in manu convenisse, totumque se illius, ut sponsum, obsequiis mancipasse. Dominicum Valesium nunquam ejus imaginem vidisse, quin si solitudo esset, positus genibus, si arbitri adessent, aperto certe capite, non fuerit veneratus; cum duobus sociis convenisse, illas unquam videndi, quin animum ad divina excitarent; illius laudibus ita delectatum fuisse, ut magnitudine voluptatis veluti peregrinaretur a sensibus. Barradium vero, qui tam luculenter de illa fuerit commentatus, imaginem nullam minus honeste haberi haud quaquam passum, dicere insuper solitum, per illam socios ad hanc familiam vocari, ejusque patrocinio constantiam tenere, et sibi quidem adolescentulo disertis ab illa verbis, ut Societati nomen daret, fuisse imperatum. Petrum Leonem, annosum usque senem, septima quoque die publice se in cœnatione flagellis cœdidisse, ut Virgini, myrrhæ olim amantissime, illius aliquantulum exhiberet. Ib. n. 26.

Mariæ cultus propagatus.

S. Franciscus Borgias tribus potissimum mediis Marianum cultum propagare conatus est. 1. Dum approbationem libelli Exercitiorum obtinuit, ex ejus usu non exiguus in B. Virginem honor resultat, utpote quæ est Auctor horum exercitiorum. 2. Dum mensurorum sortitionem et schedas, quæ laudes B. Virginis continebant, distribui fecit. 3. Dum imaginem a S. Luca depictam a præstanti pictore exprimi, ejusque exemplaria per varias provincias dispersi curavit. BOURG. cap. XXII.

P. Balthasar Alvarez auctor fuit Patri Suarez, ut questionem illam, qua probabat, B. Virginem in gratiæ quantitate omnes homines et Angelos collective sumptos excedere, discutendam assumeret; quam ob causam illi B. Virgo gratias agi jussit. MARRON. disc. CCCXXII, n. 442.

P. Alphonsus Salmeron per Quadragesimam singulis Sabbatis (etsi cessare aliquando solent eo die concionatores) concionem habuit, et pro themate Marianum cultum laudesque assumpsit. JOAN. NADAS. in an. Mar. Sab. XXXV.

P. Jacobus Laynes, licet febrî quartana laborans, tres tamen horas pro asserenda Virginis immaculatæ conceptione peroravit, eaque oratione Patres Concilii Tridentini permovit ad decretum illud, Sess. 5. de peccato originali limitandum. BOURG. c. VIII.

P. Josephus Anchieta ob compositos in honorem Virginis versiculos, donum integerrimæ castitatis inter nudas gentes obtinuit et salvus inter tot pericula evasit. Idem, c. XVIII.

P. Sebastianus a Campis agonizans ad circumstantes dixit: O filii Adæ! Servite, et amate Mariam diligentius! Non scitis, quam vobis sit necessaria Mariæ deprecatio. JOAN. NADAS. in an. Mar. Sab. IV, p. 1.

Franciscus a Villaregali cum Christum collaudaret, semper adjungebat: Laudetur Dominus noster Jesus Christus, propter purissimam et immaculatam B. Virginis Conceptionem. Et hoc acroama loco Rosarii præibat pueris. Singulis item septimanis in refectorio Ave cantabat. ANNUS 1598, post fol. 615.

Consalvus Sylveira in ea, quam ad Cafrorem regiam Goa solvens instituit navigationem, oppido longa et periculorum plentissima, utque ab his quies esset, urente sole præter Africæ oras æstuosissimas, tantum nihilominus pietatis habuit, ut quotidie mane ad nautas, ad classarios, ad duces de Virginis amplitudine ac dignitate disertissime disputaret. Eam omnem tredecim per gradus veluti ascendendo ipse definiebat, quibus e fontibus perennem sibi ad deserendum rerum ac verborum copiam suppeditari sentiebat. Hoc ille tunc maxime facere animum induxit, ne, quoniam nautæ nullum exoriri sinerent diem, quo mathematicis instrumentis instructissimi de Cynosuræ altitudine non quaerent diligenter, turpe sibi esset de ea stella, quæ nobis totius vite dux et magistra a Deo est data, ad quam cursum dirigamus, minus industre disserere. Haud igitur potuit aberrare, qui animum sub hoc astrum teneret. Neque profecto aberravit, qui ea comite Monomotapi primus Evangelium intulit, ac barbaro Regi ejusdem Virginis quam noctu sibi videre visus, ac loquentem minus intelligere, iconem ostendens, fidem persuasit, ac sacro abluit fonte. Neque recens hæc tibi, Sylveira, nec per occasionem suscepta pietas fuit; nam cum per annos aliquot donis, quæ Deus in Matrem plena congestit manu, quotidie

recolendis, horam unam sepositam habuisti. Quid igitur mirum, si addictissimo sibi servo Regina Martyrum, triumphî purpuram impetraristi? Decet hæc triumphali trabea Virginis decora esse servitia. RUO. I, III, c. I, n. 5. *ex Nostris.*

Jacobus Rhem, Germanicæ juventutis magno honore natus, cum in Sodalitatis promovedis plurimus esset, cultuque Virginis omnibus præfret, concupivit aliquando nosse, quenam ex appellationibus, quibus Virginem perhonorificis imploramus, ei esset acceptissima, voti damnatus est, objecta Deiparæ specie illustrissima, quum ad eas voces, *Mater admirabilis*, concinente symphonia quondam ventum esset; conjeerat se bonus senex in Oratorii angulum, cum eam vidit, statimque in medium emicans, iterari, tertioque a symphoniacis voces illas repeti jubet, admirantibus, qui aderant, nec satis intelligebant, quo subitus gravissimus sentis impetus pertineret. Sed vere de Virgine omnia illo breviloquio dici videntur, cum Matrem dicimus, et admirabilem. Ib. n. 9.

Gulielmum Peterum, propagato cultu Virgineo, si quis alius, benemeritum, quum extrema jam mors occuparet, ac circumfusi lectulo socii se ab illo destituti quererentur, qui colenda Virginis dux esset; graves oculos allevans: Domine, inquit, si propagandis Matris tuæ honoribus necessarius sum, exauctorari non peto, nec labore defugio. Uni illi se tuto victurum credidit, quæ vitam nobis reperit immortalem. Ib. n. 11.

Non vitam modo piissima Mater, sed mortem etiam suorum clientum nobilitavit. Nam Ignatio Azebedio, cum sua illa sociorum cohorte Brasiliæ superstitiones expugnaturus dum navigat, navi capta a Jacobo Soria archipirata Rupellensi, vim animosque ad mortem foriter fiderendam, ab ea additos esse non dubitamus. Trucidatis impio Calvinianorum ferro sociorum plerisque, in Ignatium ruebant, sed ut Virginis imaginem in manu habere, atque eam veluti vexillum, ex illa mortis procella, in vite portum evagitantibus extulisse viderunt, ut in illam prius de more servitire, extorquere conati sunt. Sed frustra laboravit impietas. Quare expeditus fuit crudelitati, Ignatium plurimus confossum vulneribus cum venerabili imagine in oceanum mergere, quam portum salutis petenti stellam illam maris auferre, itaque medio in naufragio stella comite cœlum ingressus est. Ib. n. 4.

Sodalitati nomen dando.

Hoc exercitium, ut pluribus esset expeditum, eorum cœtus diebus festis cogere primus nostrorum hominum in urbe aggressus est Joannes Leonius, quos collato studio, conjurataque pietate Virgini magnæ doceret famulari. Advertit novi moris coïtio Præsulum animos, ut paululum addubitant, an recipi, atque in mores transmitti e Republica pietatis foret; verum tanta inde statim lux emicuit virtutum, tam uberes fructus provenere, ut celeberrimus jam ille cœtus esset, certatimque nomina dantibus viris etiam doctissimis ac principibus, Pontificis Gregorii XIII, diplomate confirmaretur, acceptaque ab eodem potestate, incredibili expectantium, atque imitati gestientium studio sobolescens, utrumque orbem, quam late colitur Christus, innumerabilibus veluti coloniis complecteretur. Excitata ergo ubique gentium sodalitia per ætates, aut vitæ instituta varie descriptis profitentibus, in quibus aptæ unicuique hominum generi decreta exercitationes, incredibiles populis afferunt utilitates. Quis enim ab ulla Christianorum seculorum memoria Dei Matrem rite coluit, quin bonæ tandem frugis evaserit? RHO, l. c. n. 18.

Novem Salutationes recitando.

P. Carolus Spinola, Societatis Jesu, priusquam triumphalia lento ambustus igne consequeretur, jam inter claros Virginis asselas numerabatur. Cujus servitutis testem voluit esse elegantem Virginis laudandæ ac deprecandæ artem, quam ipse novenario salutationum Angelicarum numero novies repetitarum illigavit, ut novem mensium, quibus hospitio Virginei uteri Deum exceperit, ac totidem privilegiorum, quibus eam hospes Deus auctam voluit, memoriam rite veneraretur. Ea autem dona sic Carolus enumeranda sibi decreverat, ut primo loco Dei Matris Nomen; secundo, admirabilem virginis atque fecunditatis nexum; tertio, leve sacri uteri pondus; quarto, partum nullo dolore degenerem; quinto, purissimum SS. Triadis templum in Maria locatum fuisse; sexto, in Eucharistia divinissima eandem nobis carnem, eundem apponi sanguinem,

quem Christus Dominus de Virgine Matre sumpsit; septimo, eam Evæ in locum suffectam meliori Ecclesiæ futura, secundam miram Matrem; octavo, Deo factam in deliciarum Paradisum transcriptam; nono, adeo alte divinis donis evectam fuisse, ut Angelorum, qui magno proximi sunt intervallo, sua altitudine obtutus fatiget. His ille privilegiis recolendis seque suosque feliciter exerebat, donec igneis subvectus alis eo se intulit, ac penetravit, unde propius ac beatus possit intueri. RHO, l. III, c. 1, n. 6.

Mariani favores.

S. Ignatius a tempore, quo votum castitatis per Deiparam in monte Serrato obtulit, nullum libidinis sensum expertus est. Alias eidem cum infanto Jesu se visendam præbens tanta cor ipsius lætitia perfudit, ut summe fastidire quascumque carnis voluptates cœperit. MIEKOV, d. cccxii, n. 35.

S. Franciscus Xaverius ipso B. Virginis in cœlum assumptæ die Japoniam attigit, ut vel ex tempore disceret, cujus beneficio et patrocinio tam exoptata ei gratia obvenerit. Vita, l. III, c. xxviii.

B. Aloysius, vix decem annos natus, cum virginitatem in honorem Deiparæ vovisset, eandem illius præsidio non solum integram servavit, verum etiam nullis unquam carnis stimulis aut imaginibus rerum turpium perturbatus fuit. Vita.

B. Stanislaus ægrotanti non solum B. Virgo apparuit, et Christum Filium in lecto collocavit, verum etiam corporis sanitatem restituit, atque, ut Societati Jesu se adjungeret, hortata est. Vita.

P. Martinus Gutierrez Deiparam expanso pallio universam Societatem comprehendere, et magno affectu fovere vidit. HIER. PLATUS l. I, de bovo Stat. Rel. c. xxxiv.

P. Balthasar Alvarez B. Virgo apparens, specialiter devotionem ad S. Josephum Sponsuum suum commendavit. BALINGH. 25 Jul.

P. Joanni Nunzio Barettæ B. V. apparens cum Fabro: Sume, inquit, Joannes, animos, et angorem pellens Conimbriacæ te confer, Collegium Societatis adi, hunc Fabrum inibi expecta, ejusque doctrinam et consilia sequere. BOURGH. c. xvi.

Henricus Delsom, Audomarensis coadjuv-

tor, in Societatem receptus, tam hebes erat, ut nihil spirituale posset memoria tenere. Ergo tristis ad imaginem Deiparæ procumbit, et corpus, vires omnes, animumque in perpetuum obsequium devovet. Ab eo tempore tam rerum spiritualium capax est effectus, ut conciones totas memoria repetere posset, etiam post multos annos; tamque altos de rebus divinis sensus habuit, ut Theologi gravissimi dixerint, eum velut e puteo haurire profundissimo admirandos de divinis rebus sensus. BOURGH. c. viii.

SMILITUDINES.

Maria Mater.

Sicut Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratiæ spirituale, in cruce patiendo; ita B. Virgo nos genuit et peperit in maximis doloribus, Filio compatiendo. S. ANTON. p. IV, tit. xv, c. xx.

Sicut pia mater abscondit filium sub pallio, quando pater vult eum verberare; ita B. Virgo confugientes ad se, Christi justitiam formidantes. RICA. l. XII de Laud. Virg.

Sicut Adam et Eva vendiderant mundum pro uno pomo; ita Filius meus et ego redemimus mundum, quasi uno corde. B. VIRGO in Rev. S. Brig. c. xxxv.

Sicut mater generis nostri pœnam intulit mundo; ita Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Et sicut auctrix peccati Eva; ita auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit; illa percussit, ista sanavit. S. AUG. s. de Nat. B. V.

Maria Virgo.

Sicut speculum non frangit solis radius; sic integritatem Virginis non vitiavit ingressus et egressus Divinitatis. S. AUG. s. de Nat. Christi.

Sicut ex terra immaculata factus est Adam primus; ita ex immaculata Virgine nasci debebat Adam secundus, id est, Christus. S. ANDR. APOST.

Sicut rubus a Moysæ conspectus ardebat, nec consumebatur; ita B. Virgo ardebat igne spirituali, nec tamen erat adusta concupiscentia carnali. MIEKOV. disc. clxii, c. vi.

Sicut vellus, cum sit de corpore, nescit corporis passiones; sic Virginitas, cum sit in

carne, vitia carnis ignorat. Cœlestis ergo imber Virginem in vellus placido se fudit illapsus, et tota Divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere, donec per salubulum Crucis expressum, terris omnibus patulis pluviam effunderet. S. CARYS. serm. cxlv.

Sicut lignum ex se vermiculum procreat absque semine, sed solo cœlesti influxu; ita B. Virgo virga de radice Jesse absque virili semine, sed sola Spiritus Sancti obumbratione, genuit Christum, qui de se ipso dixit: Ego sum vermis, et non homo. ORIGENES, in Ps. xli, 7.

Maria sine macula concepta.

Sicut primus Adam formatus est ex terra virgine nunquam maledicta; ita secundum Adamum, id est, Christum, decuit ex Virgine, nullius peccati maledicto subjacente, formari. S. DOMINICUS.

Sicut radius solis non contrahit fœditatem ex contactu rerum fœdarum; ita B. Virgo non contraxit peccatum originale ex conjunctione parentum eadem macula infectorum. Stell. B. V. l. IV, p. I, c. ii, c. i.

Sicut ex spinis mollis rosa surgit acutis. Sic Evæ destitit, sacra veniente Maria, Non est, quod læniat Matrem; hæres servat honorem. SIBILLIUS l. I, Pasch. carn.

Sicut Christus in oculis habuit Patrem immortalem; ita decuit, ut in terris haberet Matrem a morte originalis peccati immunem. S. AUG. s. xliii, de Nat. Christi.

Maria dolorosa.

Sicut si quid patitur anum membrum, compatiuntur omnia membra; ita quod Christus passus est corporaliter in corpore, B. Virgo spiritaliter est passa in mente, et vulnere Christi mortientis erant vulnera Matris condolentis. I COR. xii, 26; S. BERN. de Lament. Virg.

Sicut gravior pungit, quod vicinius est cordi; ita gravior erat dolor Mariæ, quia dilectione erat vicinior Christo. S. BAIS. l. I, Rev. c. vi.

Sicut sole obscurato eclipsatur et luna; ita deficiente Christo in cruce, defecit et Maria per compassionem in mente. MIEKOV. d. cccclxxxiv, n. 3.

Sicut in duabus citharis æqualiter attemperatis, una pulsata, tremit et resonat altera sine contactu; ita Christo crucifixo, crucifixa fuit et Mater absque tortore. *Ib. n. 10, ex S. Aug.*

Sicut, dum vox vehementius impingit concauum locum, echo fortior resultat in aere; ita dum graves dolores sentiebat in corpore Filius, iisdem respondebat per compassionem Mater in mente. *Ib. n. 12.*

Sicut duo specula sibi e regione opposita easdem imagines recipiunt per reflexionem; ita Christus et B. Virgo tempore passionis eosdem sentiebant dolores per compassionem. *Ib. n. 13.*

Sicut mare super omnes aquas, et mole, et amaritudine excellens est; ita tuæ contritioni nulla calamitas æquari potest. *HUGO DE S. VICT. in c. II, Thr.*

Sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, qui transivit corpus et membra Filii, sicut ipse dicit Thronorum I: «O vos omnes, qui transitis per viam etc.»; sic non fuit dolor, sicut dolor ille, qui Matris viscera per compassionem pertransiuit. *RICARD. in S. Laur. I. III, s. CXLIII.*

Maria veneranda.

Sicut sericum album auro substernitur, et ex ambobus vestis pretiosa contextitur; ita Virginitati Maternitas Virginis jungitur, ut honor Deiparæ augetur. *MIEKOV. d. CXVII, n. 4.*

Sicut nulla creatura in tantam descendit humilitatis abyssum; ita nulla post Deum ascendit ad tantam gratiæ dignitatem, uti Maria. *S. BERN. ser. LI, t. I, a. 1, c. II.*

Sicut veniente ad Salomonem Regina Saba, non sunt allata ultra tam multa aromata corporalia; ita veniente in mundum Deiparæ, non sunt reperta unquam plura aromata spiritualia, id est, virtutes ac merita. *L. III REG. x. 10.*

Sicut sole oriente diffugiunt stellæ; ita ad dignitatem Mariæ obscuratur comparata sanctitas atque perfectio Sanctorum. *BEIRLINCX. them. II, in festo Annunt.*

Sicut est incomparabile, quod gessit, et ineffabile donum, quod percepit; ita et inestimabile atque incomprehensibile premium, et gloria, non dico inter cæteras sacras virgines, verum etiam ultra omnes Sanctos, quam promeruit. *S. IDEPH. s. II, de Assumpt.*

Sicut non decuit humanam naturam assumi a Verbo, nisi pulcherrime et incomparabiliter decoratam; ita nullatenus decens fuit, personam humanam effici Dei Matrem, nisi speciosissime et gloriosissime ornatam. *DIONYS. CARTH. I. I de Laud. Virg.*

Maria invocanda.

Sicut ii, qui in Regis familiam adseici cupiunt, prius uni ex regis famulis et amicis adherent, eique fide omni, officioque deserviunt; ita quisvis homo, ut inter Dei famulos numerari possit, summa prius fide charitateque B. Virgini se dedicare, eique tanquam Domine servire debet. *P. PETRUS FABER, in Vita.*

Sicut aves carnivoræ, dum prædam unguibus tenent, frequenter eam clamore hujus sublato dimittunt; sic dum Mariam invocamus, frequenter ab infernalium voluerum faucibus liberamur. *BEIRLINCX, them. II in Fest. Purif.*

Sicut sol oritur super bonos et malos indifferenter; sic Maria præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo miseretur affectu. *S. BERN. in ser. sup. Signum.*

Sicut oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra fatigata recreat, odorem parit, flammam nutrit; ita in laude Virginis refleximur, exemplo ejus ad virtutum medicamina invitamur, adversitatibus fessi ejus patientia recreamur, vitæ ejus forma illustramur, odore virtutum oblectamur. *MIEKOV. dis. LXXXIII, n. 3.*

Sicut magnus ignis effugit muscas; ita maxima charitas Deiparæ Dæmones fugat, ut neque a longinquo audeant ad illam vel illius clientes appropinquare. *S. BERNARDINUS, ser. II, art. 4, c. II.*

Sicut nemo potest ledere eum, qui ad latus Imperatoris consistit; ita nemo potest nocere illi, qui Deo et B. Virgini per fiduciam adhæret. Si enim Deus et Maria pro nobis, quis contra nos? *Vita PP. I. XI.*

Sicut homo subtracta terra labitur in profundum; ita subtracto Mariæ adjutorio delabitur homo in peccatum, et inde in infernum. *RICARD. I. VIII, de Laud. Virg.*

Sicut terreni Principes, cum honorari quempiam volunt, per eum omnia facile concedunt (unde Pharaon dixit Egyptiis ali-

MOTIVA.

Maria amanda.

menta petentibus: Itæ ad Joseph, et quod dixerit vobis, facite); ita et Deus B. Virginem omnium gratiarum dispensatricem fecit, ut omnes honorificent illam. *SPINELLUS, in Throno Deip.*

Sicut servi Regis et Reginæ in curia certis notabilibus clenodiis deaurati procedunt, per quæ cognoscuntur esse servi Regis et Reginæ, et speciali purpura vestiti procedunt; ita in curia cælesti servi Virginis speciali ornatu et gloria, qua ab aliis discernantur, fulgebunt, juxta illud Proverbiorum 31: Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. *PELBARTUS, in Stel. I. XII, p. I, art. 3.*

Sicut, si vas liquore plenum moveatur, facile effundit liquorem; ita, cum B. Virgo Spiritu Sancto, et donis cælestibus superplena et superflua sit, facile in nos sua dona effundet, si per preces et pios affectus invocetur. *S. BONAV. in Spec. c. VII.*

Mariæ Nomen.

Sicut oleum effusum magis redolet; sic quanto magis Mariæ nomen dilatatur, tanto magis gratia augetur. *MIEKOV. d. LXXXIII, n. 3.*

Sicut corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita sanctissimum Deiparæ nomen, quod in ore servorum ejus versatur assidue, in omni tempore, loco, et modo, non solum lætitiæ et auxilii est signum, sed etiam procurat, et conciliat. *S. GERM. in hom. de Deip.*

Sicut, cum res aliqua nova et insolita efficitur, solus artifex ei nomen imponere potest; ita B. Virgini Mariæ nemo conventientius quam Deus ipse poterat assignare. *BEIRLINCX. them. II, in festo Annunt.*

Maria Mater gratiæ et salutis.

Sicut Christus Jesus ultro se Patri obtulit hostiam vivam pro salute mortalium; ita et Virgo beatissima, dulcissima Maria, ipsa quoque Filium suum obtulit pro humani generis salute, magisque ei gratius fuit suo destitui solatio, quam hominum impedire redemptionem. *TAULERUS, c. XXX.*

Quia est Mater nostra, diligens nos amore invincibili, utpote filios Benoni, seu filios dolorum, quos sub Cruce peperit; cum ergo amor non nisi amore compensetur, an non merito amemus tam ardentem diligentem? *S. DAM. S. de Nativ. V.*

Quia est Adjudicatrix redemptionis nostræ; nam, ut S. Antoninus ait: Christus Virginem fecit participem beneficii Redemptionis, quatenus, sicut fuit adjudicatrix Redemptionis per compassionem, ita fieret Mater omnium per recreationem; totusque mundus, sicut obstringitur Christo per passionem, ita etiam Domine obstringeretur per compassionem. *S. ANTON. p. IV, tit. XV, c. XX. Hinc S. Augustinus exclamavit: O Beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum præconia pendere, quæ singulari tuo assensu mundo succouristi perditio? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi cæli aditum invenit? Si ergo, ut idem alibi dixit, qui non amat Christum, quia ab eo creatus est, infernum meruit; qui vero non amat ipsum, quia redemptus est, meruit, ut novus pro eo infernus fiat; an non ob similem causam ipsa quoque Mater ejus, utpote Redemptionis Adjudicatrix, impense erit diligenda? *S. AUG. s. x de Sanctis.**

Quia in ipsa reperiantur perfectissimo modo motiva amoris, scilicet 1. Bonitas; juxta illud Vener. Bedæ: Inventa Maria Virgine inventur omne bonum. *VEN. BEDÆ in Contemplat. de B. V. 2. Pulchritudo; juxta illud Canticozum: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. 3. Amor; quia, teste S. Petro Damiano, amat nos invincibili, quos in ipsa et per ipsam Filium et Deus illius summa dilectione dilexit.*

Quia amor illius est unum ex certissimis signis predestinationis; nam tota salus generis humani consistit in multitudine gratiæ et favoris Mariæ, teste Cassiano. *In Collat. PP. Hinc Ecclesia ipsi illam Salomonis sententiam accommodat: Qui me inveniit, invenit vitam, et hauriet salutem a Domino. PROV. VII, 35. Merito ergo S. Bernardus hortatur: Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus, quia, quod quærat, invenit, et frustrari non potest. *Serm. de Nativ. B. Virg.**

Maria honoranda.

Quia *Mater Dei*, et hoc solum prædicari de illa, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest, teste S. Anselmo: Cui enim dixit (Deus) aliquando Angelorum, *Mater mea es tu?* Aut quis Angelorum dicere potuit Deo: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Hinc recte idem S. Pater exclamat: Mira res, in sublimi templor Mariam locatam. Omnis natura est a Deo orta, et omnis natura Dei ex Virgine. c. II de *Excell. Virg.*

Quia *Mater nostra est*, juxta illud Christi: Ecce Mater tua.

Quia *sibi reputat exhibitum honorem Christus, quemcumque Matri exhibuerimus*; si enim ipse dixit: Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; (MATTH. XXV, v. 40.) quanto magis eum, qui Matri suæ præ omnibus creaturis ardentius dilectæ præstat, ut sibi præstitum agnoscat? Recte proinde S. Bernardus dixit: Non est dubium, quidquid in laudibus Virginis proferimus, ad Filium pertinere. Hom. IV *super missus.*

Quia *est Domina ac Regina nostra*; ut tum nominis ipsius interpretatio indicat; tum præclare probat Rupertus, dum ait: Prædicabitur de te, quod sis Mater Christi, et proinde Regina Cælorum, quia totum jure possides Filii Regnum. RUP. *super Cant.* IV. Et confirmat Arnoldus Carnot. dicens: Christus est Dominus, Maria Domina; constituta quippe est super omnem creaturam; et quicumque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. ARNOLD. CARNOT. *de Laud. Virg.*

Quia *est summa benefactrix nostra*, per quam habemus, quidquid accepimus, aut speramus; nemo enim est, cui donum concedatur, nisi per ipsam, teste S. Germano, hom. de *Zona*. Hinc sapienter S. Bernardus: Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas illius, qui omnia nos voluit habere per Mariam. S. BERN. s. de *Aquæ ductu.*

Maria invocanda.

Quia *scit jurare*; nam ut S. Germanus testatur, ipsa omnia observat, omnia contue-

tur, et inspectio illius ad omnes se exporrigit. Serm. II de *Assumptione*. Et nescit quidem, ut S. Anselmus ait, homo, quid oret, et quomodo oret; sed ipsa, quid et quomodo petendum sit, novit. De *Excell. Virg.* Quia, teste S. Petro Dam. per ipsam, cum ipsa, et in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut, sicut sine ipso factum est nihil, ita sine illa nihil reffectum sit. Serm. de *Annuntiatione.*

Quia *potest jurare*; illa enim, quanto perfectius exerit officium Matris erga Christum, tanto majori jure hic dicit, quod olim Salomon ad Bethsabeam dixisse scribitur: Pete, mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. III. REG. II, v. 21. Immo, ut S. Petrus Damianus ait, ipsa accedit ad thronum Dei non solum rogans, sed et imperans; Domina, non ancilla. SERM. I de *Nat.* Hinc S. Anselmus orat: Benignissimus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus erit ad concedendum, quidquid velis, promptissimus et exaudibilis; tantummodo velis salutem nostram. De *Excell.* c. XII. Id quod ipsamet confirmavit, dum S. Hyacintho apparetis dixit: Gaude, fili Hyacinthe, quia orationes tuæ sunt gratæ Filio meo, et quidquid ab eo per me petieris, impetrabis. Adde quod illa ipsa, qua invocatur, fiducia plurimum conducat, et capacem faciat omnium, quæ petuntur, gratiarum obtinendarum.

Quia *vult jurare*. Nam adeo pietate replentur ubera tua, o Virgo, (inquit Richardus de S. Victore) ut alicujus miserae notitia tacta, lac fundant misericordiae, nec possis miseriam scire, et non subvenire. *Super IV Can.* 5. Et quid mirum, in charitatis affectum transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas corporaliter requievit? ut S. Bernardus discurrit. S. II in *Dom.* 2 post *Epiphon.* Hinc alibi animos addens ait: Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est. Revolve diligentius Evangelicæ historie seriem universam, et si quid forte increporium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. *Supra Signum magnum, in Assumptione.*

MEDIA.

Meditatio et consideratio frequens privilegiorum, favorum, et præconiorum passim a SS. Patribus decontatorum; in hac enim meditatione exardescet ignis amoris Mariani.

Ferviter sibi persuadere, quod Mater nostra sit, majori nos affectu amoris complectens, quam ulla mater filium suum in teris diligit; hinc enim ad filialem affectum, et amorem mutuo rependendum incitabimur.

Ardens in se salutis propria, et caelestium donorum desiderium excitare; hinc enim non modice impellemur ad favorem hujus sanctissimæ Virginis, sine qua nihil concedere decrevit Deus, per amorem et fiduciam ambiendum.

Exemplum eorum, qui ardentiori erga hanc sanctissimam Virginem studio atque amoris affectu ferebantur, crebro ob oculos habere, ut partim eorum fervore salubriter calefacti in similem amorem exardescamus; partim insignes, quos ex tali exercitio retulerunt, fructus æstimantes, ad eosdem per simile medium obtinendos incitemur.

Jesum per cor Mariæ, et hanc per cor Jesu impense ac demisse rogare, ut duplicem illum Spiritum amoris multo, quo sese cum ingenti suo solatio fructuque complectebantur, cordi nostro instillent; neque enim unquam facilius exorari se patientur, quam ubi partim tam dulcis exercitiis memoria illis renovatur; partim res aliqua tantopere illis semper expetita postulatur.

Frequenter cum illa, cum per quotidianas, et magno cum affectu peractas preces, tum per constantem et filialem prorsus fiduciam, vel in templo ejus honori specialiter dicato, vel certe coram pia quadam, et ad affectum reverentiæ amorisque excitandum idonea imagine, vel, si neque hoc fieri commode potest, in ipso pectoris arcano secessu, de suis negotiis ac necessitatibus colloqui et tractare; dici quippe vix potest, quantum ex tali familiaritate incrementum accipere soleat amor Marianus, ut vel ex quotidiano amoris profani et minus honesti per simile commercium, heu! nimium crescentis exemplum, non difficile licet colligere.

Sodalitatem aliquam Marianam sedulo et religiose frequentare, in hac quippe reperitur, quidquid fere ad amoris Mariani augmentum conducere potest, nimirum 1. Pre-

ces, quibus fictus amor expetitur, tanto efficaciores, quanto ferventius, et quidem in nomine Christi et Matris ejus conjunctis persolvuntur. 2. Lectio libri spiritualis, plerumque ejusmodi conventibus fructuose præmitti solita. 3. Exhortatio sacra, qua si non semper directe, certe non raro ad cultum Patrone suæ sodales excitantur. 4. Multa exempla, quibus præ cæteris, et merito, summopere animi ad præclarum consodaliu suorum fervorem amulandum inflammantur. 5. Correctioes discretæ, si quis forte in Mariani amoris exercitio tepescere et languere deprehendatur; ut adeo ob tanta ac tam multiplicia commoda merito sodalis quidam in agone positus exclamavit: Quam dule, quam salutare est, o B. Virgo, sodalium tuum! Quid egi, quid commievi, ut in illud adscriberer? *Pædagog. Christ.* p. II, c. XXVI § 4.

ASCETICA.

De hac materia quatuor præcipue bene apprehendere, aliisque inculcare debet Asceta.

Primum est, ut bene norit *Regulas*, quas SS. PP. Theologi, et Ascetæ assignare solent ad excellentiam B. Virginis clarissimæ solidissime demonstrandam, quæ quidem fere sequentes sunt. Prima regula. Quicquid gratiæ aliis Sanctis, vel viris, vel feminis fuit concessum (modo sexui non repugnet) id totum B. Virgini nobiliori et perfectiori modo fuit collatum. Quæ regula clare tradita est a S. Bernardo, dum dixit: «Nihil est virtutis, quod ex te non resplendeat, et quicquid singuli habere Sancti, tu sola possidisti.» S. IV, *super Salve Regina*. Et conspirat S. Hieronymus dicens: «Cæteris per partes gratia præstat; Mariæ tota se infundit gratiæ plenitudo.» S. de *Assumpt.* Secunda est: Omnia, quæ ad sanctitatem et dignitatem spectant, etsi nullum fundamentum aliud habeamus, quam quod sine inconvenientia ei attribui possint, magnæ Dei Matri esse attribuenda; ita enim merito semper sensus communis fidelium ac piorum sensit, eo quod B. Virgo sit ite liberalitatis et beneficentiæ et communicationis ad extra, quam Deus pure creature confudit. GASPARIUS TAUSCH. in *Matre dol.* l. I, c. IV, § 3.

Secundum est, ut bene cognoscere studeat fontes, ex quibus excellentia tota Deiparæ Virginis emanavit, quorum quidem quatuor assignari possunt. 1. *Maternitas Dei*, de qua sic discurret S. Thomas: « B. Virgo Maria ex hoc quod est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex infinito bono quod est Deus, et ex hac parte non potest aliquid melius esse Deo. » I. p. q. xxv, a. 4, ad 6. Unde et S. Bernardus: « Ista est Virginis nostræ gloria singularis, inquit, et excellens prærogativa Mariæ, quod Filium unum eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem. 2. *Martyrium cordis*; quod quidem tantum fuerat, ut S. Anselmus dixerit: « Quidquid crudelitatis inflicto est corporibus Martyrum, leve fuisse, aut potius nihil comparatione eorum, quæ ipsa est passa. » *De Excell. Virg.* tom. 1, s. lxxi, a. 3, c. ii. Immo S. Bernardus teste: « Tantis fuit ejus dolor, quod, si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, divideretur, omnes subito interirent. » Hinc Suarez docet, eam in cælo habere nunc speciale quid præ aureolis Martyrum, quod sit velut insigne quoddam excellentissimæ fortitudinis et charitatis ejus, sive deim vocetur aureola, sive aliquid eminentius illa, quod verius est. 3. *Magnitudo amoris*; tum quia in primo instanti statim major fuit elicitus ab illa, quam ullus purus homo aut Angelus elicit; tum quia nunquam, ne brevissimo quidem tempore, fuit interruptus; tum quia secundum omnes anime et corporis potentias fuit elicitus, ita ut eandem ferro ignito non immerito S. Ildephonsus et alii comparent; tum quia singulis momentis perfectior, et quidem (uti Suarez pie et erudite probat) secundum duplam proportionem evasit; unde citatus auctor deducit, eandem Virginem circa finem vitæ unico actu amoris Dei per unum momentum plus meruisse, quam meruerint omnes Sancti, et beati homines, et Angeli, qui sunt, erunt, fuerunt, omnibus suis actibus simul sumptis. Neque hoc adeo mirum videri debet; si enim B. Catharina Genensis tanto in dilectum Sponsuum suum amore exarsit, ut dicere ausa sit, si vel unica hujus amoris guttula in infernum delaberetur, mutaturam illum plane in vitam æternam, tantumque fore ibi amorem atque unionem, ut Dæmones in Angelos, et tormenta in oblectamenta verterentur; quid non de B. Virginis, in gratia incomparabiliter eam excedentis, amore erit sentien-

dum? 4. *Perfectio corporis et anime*, quæ quidem utraque tanta fuit, ut nullus ex puris hominibus unquam ad similem perfectionem pervenerit; cujus rationem dant Theologi, quia, licet aliqui gratia non detur secundum naturalium donorum proportionem, in B. Virgine tamen, sicut summa ei propter maternitatem perfectio debebatur, ita omnino decebat, ut proportionatum gratiæ fundamentum, adeoque perfectissima anima corpusque concederetur.

Tertium est, ut specialiter apprehendere studeat fundamentum præcipuum Hyperdulie, scilicet excessum gratiæ, quæ omnes Sanctos et Angelos, etiam collective acceptos, longissime antecedit, cujus quidem quinque causas assignant Doctores. 1. Quia propinquissima fuit fonti omnium gratiarum, scilicet Christo, atque adeo plus etiam accepit ab illo. 2. Quia incomparabiliter major dilectione fuit dilecta a Christo, quam alii Sancti; ita ut Sanctus Hieronymus dicere ausus sit: Sicut in Dei comparatione nemo bonus; ita et in Matris Dei comparatione nulla creatura invenitur perfecta, quamvis virtutibus innumeris comprobetur. 3. Quia credi debet B. Virginem esse per omnia, quantum fas est, simillimam Christo, atque adeo sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ redundantis, ita et eadem in sanctissima Virgine fuerit, cum hoc solo discrimine, quod in Christo fuerit tanquam in homine personaliter definito, in Maria vero ut in templo singulariter consecrato; in illo tanquam in capite influente, in hac tanquam collo transfundente; in illo tanquam causa efficiente, in hac tanquam subjecto recipiente. 4. Quia ipsa Nominis nomenclatura indicat, sicuti in mari aquarum, ita in ipsa congregationes esse gratiarum, et sicuti omnia flumina intrans in mare, et mare non redundat; ita in B. Virgine quoque reperiri quidem omnes gratias aliis creaturis concessas, sed ipsam tamen propterea non redundare, id est, nihil supra dignitatem suam accepisse, sed omnia secundum summam illius dignitatem fuisse commensurata. 5. Quia summa fuit actuum meritoriorum, per quos gratiam suam augebat, intensio ac multitudo, cum, ut supra dictum est, in primo statim instanti actum, omnium Sanctorum actibus collective acceptis perfectiorem, produxerit, et singulis instantibus novum duplo perfectiorem elicerit, et hoc exercitium per sexaginta tres, vel, ut alii volunt, per septua-

ginta duos annos continuavit. Ex quibus proinde fundamentis merito concluderunt Doctores et SS. Patres, B. Dei Matrem, sicut in gratia et dignitate ac meritis omnes Sanctos longissime superavit; ita etiam intercessione sua plus solam, quam alios etiam simul acceptos efficere posse.

Quartum est, ut solidum et efficacem sciat doceatque modum colendi hanc sanctissimam Virginem, quem quidem nonnemo judicavit optime explicari posse per columnam marmoream a Maximiliano Bavarie Electore olim in sua Metropoli, medio, inquam, foro Monacensis urbis erectam, et quinque partibus constantem, nimirum 1. Basi, cui insistit columna. 2. Ipsa columna. 3. Imagine B. Virginis, quæ insistit columnæ. 4. Clathris ambientibus columnam, et quatuor lucernas sustentibus. 5. Quatuor militibus, qui quatuor clathrorum angulis insistant, et draconem pedibus substratum gladio interimunt; quæ quidem omnia non ineleganter etiam cultui Mariano accommodari possunt. Et 1. quidem per basim *æstimatio* de Virginis excellentia concepta intelligi potest, quo enim hæc firmior et amplior fuerit, tanto majores quoque possunt esse partes reliquæ, quæ eidem inniti debent. 2. Per columnam *fiducia* intelligi potest, quæ merito rotundam, id est, capacissimam, et ad omnes necessitates nostras eidem commendandas se extendentem, formam habet; cum vere suo modo de illa dici queat illud sancti cujusdam Patris, tantum scilicet per ipsam nos impetratos, quantum se nostra in eam fiducia extendere. 3. Per imaginem intelligi potest *imitatio* illius, quæ, quo perfectior fuerit, tanto pulchriorem quisque columnæ suæ imaginem superposuit, cujus quidem necessitatem breviter S. Bernardus indicavit, dum dixit: Ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum. 4. Per lucernas intelligi potest *propagatio* cultus Mariani, per quam et pulchritudo illius ac excellentia manifestatur, atque ad debitum illi honorem cultumque exhibendum alii invitantur, quod quidem quam gratum Virgini sit futurum, vel ipsum, quod promittit, præmium apud Ecclesiasticum satis ostendit: Qui me elucidant, vitam æternam habebunt. Eccl. xxiv, 31. 5. Per milites intelligi possunt cultores Mariani perimentes *Draconem* Diabolum, qui iratus est *Mulieri* (id est, B. Virgini) factique

prellum cum reliquis de semine ejus, atque eosdem a cultu et amore hujus sanctissimæ Matris suæ evocare nititur, quemadmodum sæpius ostendit, dum et fassus est, neminem sibi magis exosum esse et detestabilem, quam hanc omni veneratione dignissimam Matrem, et aliquoties cultoribus ejus libertatem a persecutione promissit, si ab incepto Mariani cultus fervore absterent.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Etsi facile foret, eundem in his conceptibus explicandis ordinem, qui in prioribus paragraphis observatus est, tenere; quia tamen hi omnes conceptus potissimum servient ad conciones in festis hujus sanctissimæ Virginis habendas, ideo, ut in hoc quoque laborem seligendi minuerem concionatori, placuit potiores conceptus secundum ipsorum Festorum (quæ quidem in aliquibus locis omnia, in aliis pleræque, festive celebrantur) ordinem enumerare, et tum demum alios, qui veluti communem materiam continent omniibus Festis applicari possunt, adjicere.

Pro Festo Conceptionis Immaculatae.

Ex occasione thematis: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ, » explicetur in primis, quid sit peccatum originale, et quam merito noxiæ et pungenti spinæ, quæ omnes alii homines graviter vulnerati sunt, comparetur. Deinde ostendatur, quomodo Beata Virgo sola ab hoc peccato fuerit immunis, atque adeo velut candidissimum lilium inter alios homines exereverit. Vide Georgium Pistorium, in *Matre admirabili*, conc. 45 in exordio; et conc. 4, part. 2 et 3.

Ex occasione thematis: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te; » (CANT. lx, 9.) ostendi potest. 1. Triplem esse maculam, quæ animæ pulchritudinem feedet, atque corrumpat, nempe peccati mortalis, venialis, et originalis, quarum proinde creditas et natura pluribus explicetur. 2. Probetur, B. Virginem ab omnibus tribus immunem fuisse. Et pro coronide addatur, si B. Virginis Conceptionem digne celebrare velint, vix alium meliorem modum occurrere, quam immaculatae vitæ